



## II. Abtheilung: Mittheilungen.

### Kleinere Quellen und Forschungen zur Geschichte des Cistercienser-Ordens.

Von Dr. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.

(Fortsetzung zu Heft I. 1897, S. 87—101.)

XII. F. 208—215'. **Modus eligendi novum abbatem in ordine Cisterciensi.** Defuncto abbate aliquo ordinis *Cisterciensis* prior et conventus scribant<sup>1)</sup> patri abbati vel eius commissario literas continentes vel mentionem facientes de morte abbatis sui supplicantes humiliter, quod gregi desolato dignetur citius quam poterit de novo pastore providere. Et mittant prior et conventus vacantis monasterii cum dictis litteris sigillum abbatis sui defuncti in quadam bursa vel pixide reclusum et sigillo conventus sigillatum deleta, quantum fieri poterit, scriptura praedicti sigilli.

Cum igitur pater abbas vacantis monasterii vel eius commissarius praedictas literas mentionem facientes de morte coabbatis sui receperit, consoletur nuntium et rescribat dictis priori et conventui diem et horam, si sint prope, quibus poterit cum Dei [F. 208'] auxilio esse apud eos causa creandi novum abbatem vel pastorem, et debet etiam notare in memoria sua vel in quodam breviculo praedictus pater abbas praedictum diem et horam, ne deficiat eis de promisso.

Rescriptis igitur litteris pater abbas disponat taliter, quod die, qua scripserit, et etiam hora sit in vacante monasterio secundum quod promisit.

Cum autem descenderit in monasterium, vadat secundum consuetudinem laudabilem ordinis ad ecclesiam et ibidem faciat orationem suam, postea petat tumulum et fossam abbatis defuncti et inibi dicat: *De profundis, Ave Maria cum Pater noster* et

<sup>1)</sup> scribat.

subiungat collectam: *Inclina* singulariter et *Deus*, cuius *miseratione* tantum, postea: *Requiescat in pace. Amen.*

Quibus dictis vadat ad cameram suam et consoletur fratres de morte abbatis sui proprii et quos voluerit, si tunc fuerit hora prandii; convocet abbas pater immediatus ad suum prandium. Prandio facto aviset pater abbas priorem, quem propter hoc ad suam cameram vocare poterit, ut provideat pro crastino de co-electoribus suis. Et si prior in hoc casu fuerit minus expertus, praedictus pater abbas vel commissarius debet [F. 209] ipsum docere et dicere modum, videlicet quod scribat in aliquo rotulo sic: *Isti sunt electores.* Postea scribat primo nomen suum, deinde secundum ordines suos omnium electorum nomina cum denominatione sacrorum ordinum et officiorum. Dicat etiam pater abbas vel eius vicarius praedicto priori, quod provideat in crastino de missa s. Spiritus, videlicet quod celebretur solemniter in conventu et quod omnes intersint, et si sint aliqui monachi extra conventum vel monasterium, quod veniant, nisi sint multum longe, in quo casu non expectentur, sed sic assignet eis diem praedictam, videlicet crastinam, ad eligendum. Quibus sic ordinatis dicat commissarius, quod pro vespere pulsetur temperius vel modico citius quam aliis diebus et quod in exitu vesperarum pulsetur ad capitulum, ut ostendat commissionem suam praedicto priori et conventui. Quo facto intret capitulum dictus commissarius cum abbate secum assumpto et tunc praesente conventu legatur commissio, qua perlecta dicat commissarius dirigendo sermonem suum ad priorem et conventum: *Domine prior et vos domini mei! Audistis commissionem meam et bene intellexistis; prout vultis me recipere pro commissario secundum tenorem [F. 209] commissionis meae?* Quibus respondentibus: *Volumus* dicat tunc commissarius: *Et ego assumpsi mecum dominum abbatem N. hic praesentem, qui est vicinus et amicus vester et qui est multum expertus in praefato, quod habemus prae manibus, negotio et etiam maioribus non dubito et credo, quod est vobis omnibus gratus et quod bene placet vobis.* Et ipsis respondentibus: *Bene placet nobis* tunc ordinet commissarius de electione in crastino facienda sic dirigendo sermonem suum ad priorem: *Domine prior! Faciatis et disponatis taliter, quod missa crastina die solemniter de Spiritu s. celebretur in conventu et quod omnes intersint.*

Et sciendum, quod si festum duarum missarum fuerit, prima missa poterit esse de Spiritu s., qua cantata pulsetur pro capitulo, et si monasterium fuerit solenne, debent vocari notarii publici, qui intersint electioni et testimonium perhibeant.

Quibus sic ordinatis et dispositis dicat etiam commissarius priori, quod sit provisus de electoribus suis, et sic assignet eis diem crastinum ad eligendum novum abbatem et subiungat: *Et*

*Deus ac Dominus noster concedat vobis gratiam suam in hoc facto, quae vos dirigat taliter, quod eligere et habere possitis talem, qui sciat, possit et velit domum istam regere ad Dei honorem, animarum vestrarum [F. 210] salutem et huius loci utilitatem. Amen. Et ut hanc gratiam obtinere valeamus facilius, quilibet nostrum dicat Veni creator Spiritus, Pater noster et collectam: Deus, qui corda. Et postea dicat: Adiutorium nostrum.*

Die igitur, qua debet fieri electio, cantetur missa de Spiritu s., ut praefertur, qua cantata pulsetur pro capitulo modo consueto. Quo facto intrent capitulum pater abbas, si affuerit, vel commissarius cum abbate sibi assumpto et tunc perlecto martyrologio et regula dicat assessor aut ipse commissarius: *Benedicite*. Postea, si monasterium sit solemne, fiat sermo de electione, sin autem, dicat assessor: *Charissimi domini! Vos scitis causam, pro qua hic congregamur. Nos habemus modo tractare unum negotium bene conderosum et magnum. Eapropter, ut semper, in isto negotio procedamus secundum formam ordinis nostri et statuta capituli generalis. Antequam ulterius procedamus, vos audietis quaedam capitula diffinitionum capituli generalis electiones ordinis tangentia.* Et tunc legantur tam de Clementina quam de diffinitionibus novellis et antiquis quatuor capita, quorum primum de carta charitatis, quod sic incipit: *Si qua domus* (cap. 4), secundum [F. 210<sup>1</sup>] ex Clementina et sic incipit: *Et quia praefatus ordo* (cap. 3), tertium de diffinitionibus antiquis sic incipiens: *In electionibus faciendis* (dist. 8 cap. 5), quartum de novellis, de electionibus dist. 8 cap. 5. Quibus perlectis dicat assessor: *Charissimi! Vos audistis modo statuta tam papalia quam capituli generalis ordinis, secundum quae debeamus procedere in electionibus. Surgat prior, supprior, cellerarius, ad quos pertinet electorum nominatio secundum quod audivistis et nominent electores.* Tunc surgant prior et ceteri et veniant in medium capituli, ubi petuntur veniae, supprior et cellerarius secundum ordines suos et stent iuxta priorem hinc et inde et tunc dictus prior tenens rotulum suum nominet electores ordinate dicens sic: *Isti sunt electores.* Postea nominet primo se ipsum cum denominatione officii sui et inclinet, deinde nominet omnes electores cum denominatione graduum et officiorum, qui dum audierint nomina sua, surgant de sedilibus suis et veniant iuxta priorem hinc et inde. Et sciendum,<sup>1)</sup> quod omnes monachi possint interesse electioni et esse electores, nisi poenitentiam peregerint publicam suis exigentibus demeritis, quae infamiam importet, super quo gratiam capituli generalis [F. 211] non habuerint. Si autem praedictam gratiam habuerint, una cum electoribus possunt admitti. Quibus electoribus sic nominatis et coram patre abbate aut eius

1) secundum.

commissario astantibus dicat ipse pater abbas vel eius vicarius: *Vos, prior, reputatis vos in conscientia vestra omnes istos electores sufficienter idoneos et habiles ad eligendum novum abbatem in domo ista?* Quo affirmante cum iuramento facto cum manu in pectore, quod sic, tunc pater abbas confirmet ipsos et approbet in veros electores, nisi aliquem vellet reprobare, et det eis licentiam, auctoritatem et plenum posse eligendi novum abbatem in nomine Patris et Filii et Spiritus s. et faciat crucem. Qua facta interroget pater abbas aut commissarius alios religiosos praesentes in capitulo, si velint tenere pro facto extunc quidquid fiet per istos electores dictos, et inducet eos ad hoc, quod transferant in ipsos electores vota sua, et ipsis consentientibus moneat tunc pater abbas electores, ut solum Deum prae oculis habentes reiectis favoribus inordinatis quibuscumque ac etiam odiis non quaerentes quae sua sunt, sed quae Jesu Christi eligant personam sufficientem et idoneam, quae sciat, velit et possit dictum monasterium regere ad honorem Dei, animarum salutem et dicti loci utilitatem. Quibus sic monitis [F. 211'] dicat eis, quod vadant ad ecclesiam ante maius altare et quod invocent devotissime gratiam s. Spiritus, quae dirigat eos et eorum corda illuminet, et quod dicant: *Veni creator Spiritus, quo dicto faciant iuramentum.*

Iuramentum eligentium (*von geringen Abweichungen abgesehen, = Forma iuramenti electorum, Rituale Cisterciense lib. 8 cap. 1.*)

Deinde vadant ad locum sequestratum de electione ibidem tractaturi et postea revertantur ad capitulum electionem suam ibidem relaturi. Qua monitione et iuramento factis exeant capitulum. Tunc inhibeat pater abbas aut commissarius aliis remanentibus in capitulo, ut ipsum capitulum exeant, et expectent ibidem electores orantes Deum pro ipsa electione et ipse etiam pater abbas aut commissarius expectet eos in ipso capitulo aut circumeat claustrum, si velit.

[F. 212] Tractata autem et perfecta electione redeat pater abbas aut commissarius ad capitulum et sedeat, sicut prius. Tunc veniant prior et electores coram ipso et referant ibi electionem suam singuli. Prior prius dicat sic signando se: *In nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen. Ego eligo in abbatem domus huius nominans N. monachum, cellerarium vel bursarium domus huius; similiter dicant alii consequenter. Auditis igitur omnium electorum nominationibus, si sint concordēs et electus sit praesens, pater abbas aut commissarius advocet dictum electum et ipsi astanti dicat: Nonne audistis, N., quantum honorem faciant vobis fratres et socii vestri? Non possunt vobis maiorem rem facere quam vos constituere dominum suum, qui nuper eratis sicut unus ex ipsis, solum eorum confrater et consocius. Multum tenemini eis et multum debetis eos*

*diligere toto tempore vitae vestrae.* Tunc regratietur electus conventui de honore sibi impenso, quantum poterit et sciverit. Postea requirat pater abbas vel commissarius consensum dicti electi dicendo illi sic, si habeat ipsum electum tamquam sufficientem et idoneum et quod non velit inquirere de vita et moribus ipsius extra capitulum: *Antequam confirmem vos in abbatem huius domus, [F. 212'] oportet, quod habeam assensum vestrum super hoc; eapropter dicatis mihi voluntatem vestram.* Tunc electus ponderando difficultatem regiminis, humiliando se ipsum et reputando inscientem et impotentem ad tantum onus suscipiendum, nisi divina gratia auxilietur ipsum specialiter semperque ponat spem suam in Domino Deo omnipotenti, et postea dicat, si velit consentire electioni de se factae, quod confidendo de divina bonitate, Dei auxilio speciali et beatissimae Mariae virginis patrocinio, in cuius honorem monasterium ipsum vel domus illa constructa est, et etiam de industria, sagacitate, bona voluntate et auxilio confratrum et consociorum suorum consentiat electioni de se factae. Tunc pater abbas aut commissarius agat Deo gratias et dicat: *Et ego N. pater abbas immediatus huius monasterii auctoritate mea ordinaria, qua fungor et qua possum, confirmo vos in verum abbatem huius monasterii et ipsi vos praeficio in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.* Et tunc dicat pater abbas cantori, ut cantet *Te Deum laudamus.* Quo incipiente surgant omnes et fratribus iunioribus praeaeuntibus ducant electum in ecclesiam campanis compulsantibus [F. 213] et ipsum electum associent pater abbas et abbas per eum vocatus ipsumque per medium chorum deducentes veniant ad stallum abbatis et, ubi sedet ad vigiliis, ibidem eum installent. Et pater abbas sedeat iuxta illum, donec percantetur *Te Deum laudamus.* Quo finito dicat pater abbas versum: *Manda Deus virtuti tuae, Confirma hoc Deus* respondente conventu: *Confirma,* ut supra n. 2, et dicat pater abbas collectam: *Actiones,* et si pater abbas abfuerit, hoc dicat abbas assumptus per commissarium eum baculo pastoralis. Quibus dictis revertantur per medium chorum ad capitulum abbatibus praeaeuntibus et electum associantibus et sibi assistentibus ad dextram et sinistram et conventus sequatur eo ordine, quo vadunt quotidie ad capitulum. Quo cum pervenerint, pater abbas sedere faciat electum in proprio loco abbatis et retrahat se paululum ad partem prioris et tunc recipiat iuramentum ab electo de fidelitate regiminis tactis sanctis evangeliiis aut sacro canone missae, cuius iuramenti forma haec est, ut sequitur.

[F. 213'] Iuramentum electi (*stimmt bis auf geringe Abweichungen mit der im Rituale Cisterciense lib. 8 cap. 3 enthaltenen Formel überein*).

Quo iuramento recepto confringatur quodam malleo praesente conventu sigillum abbatis defuncti, ut omnibus mala suspicio

tollatur, et notarius praesentis abbatis ipsum sic contrafactum recipiat et tunc pater abbas aut commissarius per traditionem contrasigilli et clavium ecclesiae vel regulae ponat eum in possessionem spirituales et temporales monasterii sui committendo sibi regimen ipsius dicendo: *Ego Fr. N. abbas N., pater abbas huius monasterii per traditionem huius contrasigilli et harum clavium regimen ipsius tibi plenarie tamquam ipsius vero abbati committo in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.* Quo facto prior primus et omnes alii monachi et conversi, si sunt tunc praesentes, professionem faciant regularem hoc modo. Abbas ipse novus sedeat in loco suo, et dum venerint monachi ante ipsum, genua flectant manusque iungant et sic dicant: *Ego promitto tibi obedientiam [F. 214] secundum regulam s. Benedicti usque ad mortem et [quilibet] osculetur abbatem et ipse abbas recipiat manus eius inter manus suas, i. e. aperiat manus suas et capiat manus iunctas profitentis inter manus suas et dicat cuilibet profitenti: Et retribuatur tibi Deus vitam aeternam et assistentes respondeant: Amen.* Professionibus sic factis recommendet pater abbas vel eius commissarius novum abbatem et inducat conventum ad eius amorem et honorem, quantum poterit; inducat etiam ipsum abbatem ad dilectionem ipsorum conventualium et proponat eidem novo abbati honorem, quem fecerunt ei, maxime si fuerit de proprio monasterio et si fuerit electus concorditer; alioquin oportet variare verba, prout casus requirunt. Exhortationibus itaque salutaribus sic factis concludat verba sua de pace exhortando eos ad pacem semper servandam et quod est pax summum bonum et in fine dicat: *Et Deus pacis et dilectionis maneat semper cum omnibus vobis. Amen* et dicat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini* respondente conventu: *Qui fecit caelum et terram.* Et sic recedat de capitulo. Prandio facto fiat decretum.

[F. 214] Diffinitio facta anno MCCCCVI contra indebite et sine licentia eligentes (*veröffentlicht von Fr. Winter, Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands III, S. 330 f.*).

(Continuatio in fasc. seq.)

## St. Thomas von Aquin als Lehrmeister der Philosophie für die Welt, die Kirche und das Mönchthum.

Vortrag am Feste des hl. Thomas von Aquin, gehalten in der Abtei Maria-Laach  
von Fr. Augustin Daniels, O. S. B.

„Affer Magistrum!“ Mit diesen Worten pflegte S. Cyprian die Werke des grossen, unglücklichen Tertullian zu verlangen; in denselben hat die Nachwelt den vollendeten Ausdruck der Anhänglichkeit des Jüngers an den Meister gesehen. Mit Recht